strat eā intellectus ab oī qualitate: situ ubi & singularitate. Nisi.n. sic cōsideratiōe denudaret᷑: nō posset intelligi ut communis: q̄ diceret᷑ de oībus. Hec ergo ē differētia in ordīe abstractiōis corpalis. Primo ī sensu. Secūdo in imaginatione. Tertio in extimatione. Quarto ī itellectu. Nota tamen scđm Auice. Quod formis materialibus ꝓpter materiā accidūt dispositiōes multe: quas nō habent ex sua essentia. s. ex hoc ꝙ sunt forme. s. particularitas: q̄litas q̄titas situs: & huiusmōi. Verbi gratia forma humana substātia ē: & natura ī qua cōueniūt oīa singularia spēi hoīs equaliter cuius ē una diffinitio. Et qa accipit ei eē in singulari in hoc & in illo. Ideo multiplicata ē: hoc aūt nō inest ei ex natura sui. Si enī ex natura humana esset ut deberet multiplicari: tunc non p̄dicaretur homo nisi de aliquo uno numero. Si enim humanitas istius eēt ex hoc ꝙ ē humanitas non esset alicuius alterius. Relinquitur ergo ꝙ accidit humanitati ex materia. Iste modus multiplicationis & diuisionis ꝙ ē singularibus. Accidit ei ēt aliud p̄ter hoc: qa cum fuerit ī materia: acq̄rit᷑ aliq̄s modus. Qualitatis q̄titatis situs & ubi q̄ oīa abstracta sunt a natura ipsius. Si. n. humanitas ex hoc ꝙ humanitas determīaret sibi accidentia huiusmodi: tunc oporteret unūquēq; hoīem cōuenire cum altero in huiusmodi acn̄tibus cū cōueniant in humanitate inq̄tū huiusmodi essent igit᷑ eiusdē q̄litatis & q̄titatis &c. Relinq̄tur ergo ꝙ forma humana nō habet ex sua essentia huiusmodi accidētia: sed ista ei accidūt pp ipsius cōpositionem ad materiā. Cum igit᷑ sic sine istis apprehēdit᷑ uerissima ē ipsius forme apprehēsio. Nota ꝙ ēt differētia apprehēsionis ē ex differentia abstractiōis q̄ ē ī ipsis formis. Quedā.n. forme sunt simpliciter abstracte a materia & ab oībus cōditiōibus ipsius materie: ut forme sp̄uales q̄ appellāt᷑ a philosophis methaphisice. Quedā uero sunt abstracte a materia: sed nō a cōditiōibus materie: & ideo scđm aliq̄d abstracte sunt: sicut forme mathematice: ut magnitudo numerus. linea. n. uel figura inq̄tum huiusmōi: nō determināt sibi materiā aureā uel lineā: tn̄ determināt situ & positiōe: & iō nō sunt abstracte a cōditiōibus materie scđm se. Similiter numerus nō determinat sibi materiā: ut duo uel tres: sed tn̄ determīat sibi multiplicationē seu diuisionē q̄ cōditōes sunt materie: sicut os̄sum ē. Quedā uero forme sunt īabstracte scđm se sicut forme physice siue nāles sicut ignis: terra caro &c. sed abstrahunt᷑ cōsideratōne: p modum & ordinē q dictus ē a materia & a cōditionibus materie. Prime forme solū comprehendunt᷑ uisione ītellectuali. Illa. n. uisio sicut dicit Ari. cōprehēdit res q̄ nō habēt imagines nisi seipsas. Secunde uero forme comprehendūt

tur uisiõne imaginaria q̃ ẽ sensus cõis: siue interiõris potẽtie: & per abstractionem a conditionibus materie positionis & situs: & huiusmõi apprehendunt̃ uisione intellectuali q̃ ẽ uirtutis ĩtellectiue. Tertie uero forme comprehendunt̃ uisione corporali: que ẽ sensus particularis siue exterioris. & ꝑ abstractionem a materia apprehendunt̃ uisione imaginaria. Deinde ꝑ abstractionem ampliorem ab oĩbus conditionibus materie apprehendunt̃ uisione intellectuali.

De distinctione uirtutis ĩtellectiue apprehẽsiue. Capi. xxvii.

Onsequenter dicẽdum ẽ distinctione uirtutis intellectiue apprehensiue. Sciendum ergo ꝙ ẽ intellectus passiuus: & corruptibilis q̃ dicit̃ ab Ari. materialis. Et est intellectus incorruptibilis & separabilis. De quibus hoc ordine dicemus. Primò de intellectu passiuo: & actibus eius. Secundo de intellectu separabili: & actibus eius. Intellectus ergo passiuus ẽ uis inferior partis intellectiue coniuncta sensibili: que recipit spẽs intelligibiles ĩ fantasmatibus. Oportuit aũt hanc uim esse: ut intellectus q̃ ẽ separabilis spẽs abstractas a fantasmatibus intelligeret. Et hec uis ẽ continuans actus uirtutis intellectualis cum actibus uirtutis sensibilis: hec enim a fantasmatibus affert materialiter spẽs ĩtelligibiles abstrahendas: hec aũt uirtus nunq̃ ẽ aĩe rõnalis: nisi dum cõiungit̃ ad corpus & nominat̃ sicut dicunt alio noĩe rõnalitas: a qua dicta ẽ media celula cerebri logistica siue rõnalis. Dicta ẽ aũt rõnalitas siue ratio q̃a potẽs ẽ accipe uniuersalia a ꝑticularibus: q̃uis nõ uniuersale per modũ uniuersalis.

De uirtute intellectiua separabili. Capi. xxviii.

Ntellectus separabilis assignant̃ differentie scd̃m duos modos. Vnus modus ẽ scd̃m differentiam nature secundum ꝙ distinguit̃ uirtus intellectiua per intellectum possibilem uel agentem. Alius modus ẽ scd̃m differentiam ordinis & secũdum hoc sunt due differentie uirtutis intellectiue. s. ĩtellectus superior & inferior siue ratio superior & inferior. Quãtum ad diuisionem primam. Nota ꝙ duplex ẽ natura intellectus: una ẽ quasi materialis: alia formalis. Vna ẽ possibilis ut tabula nuda ab omni pictura. s. susceptibilis: omnium picturaꝝ nullam habens actu: sed possibilis ad oẽs & hec ẽ intellectus Alia uero agens: ut lumen. Est enim intelligibile lumẽ prime uirtutis nobis ꝑ naturam impressum semp agens sicut lux semper irradians: de quo psal. Signatum ẽ sup nos lumen uultus tui dñe. Et se habet ad species intelligibiles manifestandas sicut lux colores: sicut dicunt philosophi.

De intellectu possibili. Capi. xxviiii.

E intellectu aũt possibili certum ẽ ipsum eẽ. Nam nisi possibilitas eẽt ad susceptionem ĩtelligibiliũ spẽꝝ ĩpossibile esset ĩtellectum eẽ nõ ĩtelligẽtem actu. Nũc ergo pscrutãdum est distinctiones ipsius. Cõstat possibilitatem ad ĩtelligendum esse in pueris & in adultis adiscẽtibus. Et in adultis edoctis nõ tñ actu considerantibus. Et in actu cõsiderãtibus: sed aliter: & aliter. Sicut potentia scribẽdi ẽ in puero: & in adulto adiscente scribere: & in scriptore pfecto in arte: nõ tñ actu scribente: & ĩ actu scribẽte. In primo. n. est potẽtia naturalis. In secũdo potẽtia disposita. In tertio potẽtia pfecta in habitu. In quarto potẽtia in habitu & in usu. Secundum hunc modum ẽ differentia intellectus possibilis quadruplex scd̃m Auice. & alios. Prima ẽ ĩtellectus hñs possibilitatem tñ: & ẽ sicut potentia materialis ad similitudiem materie prime: q̃ ex se nõ habet aliq̃ formã: sed est subiectum oĩum formaꝝ. Secũda ẽ intellectus dispositus uel habẽs dispositionẽ: q ẽ cum aliqs habet in ĩtellectu principia: hoc ẽ ꝓpositiones quas cõtingit credere q̃ non aliunde sed per se sunt note. Sicut omne totũ ẽ maius sua parte. Et si ab equalibus equalia demas: que remanẽt sunt equalia: tertia ẽ intellectus pfectus: cũ iã hẽt ĩtellectus conclusionẽ eoꝝ que sequunt͛ ad principia: sed nõ ẽ cõuersus actu ad illa per cõsiderationẽ. Quarta est intellectus in actu cũ iam cõsiderat actu. Primus dicit͛ intellectus materialis. Secundus dicit͛ intellectus ĩ habitu tertius dicit͛ intellectus adeptus. Quartus dicit͛ intellectus acomodatus. hi. n. sunt ordines intellectus speculatiui possibilis.

De intellectu agente. Capi. xxx.

E intellectu agente quoniam sit sic ꝓbat Auice. Anima humana ẽ intellectus prius in potentia. Postea ẽ ĩtellectus in effectu. Omne autem quod exit de potentia in effectum non exit nisi p cãm que deducit illud de potentia in effectũ. Sed cã dans formam ĩtelligibilem nõ ẽ nisi intelligentia in effectu: ergo necessario ẽ intellectus agens. Vtrum autem intellectus agens sit separatus a sub̃a aĩe uel sit aĩe differẽtia. Et si separatus ẽ: an sit ĩtelligẽtia creata q̃ ẽ angelus: an increata q̃ ẽ deus uidẽdũ ẽ. Quod ergo sit ĩtelligentia ĩcreata q̃ ẽ deus. Sic ꝓbat͛ Augu. in lib. soliloqoꝝ dicit sicut in isto sole materiali tria aĩaduertimus ꝙ ẽ ꝙ fulget: ꝙ illuminat: sic in serenissimo deo tria ĩtelligere debemus: ꝙ ẽ ꝙ intelligit: & ꝙ cetera intelligere facit. Sic ergo deus ẽ intellectus intelligere faciens: ergo intellectus agẽs. Itẽ Ioãnis primo. Erat lux uera q̃ illuminat oẽm hoiem &c.

Illuminatio aũt hec nõ ẽ ad cognoſcẽda ſenſibilia ſed ĩtellibigilia. Erit igit̃ dei filius lux ad manifeſtanda ĩtelligibilia: ergo ẽ ĩtellectus agẽs. Quod aũt ĩtellectus agẽs ſit ĩtelligentia creata: q̃ ẽ angelus ꝓbat̃ qa ſicut dicit beatus Dionyſius. Manifeſtatores ſunt angeli oẽs: & ẽt ad ipſos ꝑtinent oẽs reuelatiões: ut patet ex apoſtolo. Apoc. primo: & Danieli. viii. Sed cõſtans ẽ ꝙ hmõi manifeſtatio: q̃ ẽ ꝑ angelos nõ fit uirtuti ſenſitiue. fit ergo uirtuti ĩtellectiue: ſed non niſi ꝑ irradiationem. Vnde dicunt̃ angeli lucis ĩ quoꝝ ſpẽm aliqñ ſathanas ſe trãſſigurat: ergo ĩtelligẽtia angelica ẽ ĩtellectus agẽs. Item lux ĩtelligẽtie prime ẽ iacceſſibilis prime thy. vi. Deus hĩtat lucem ĩacceſſibilẽ: ergo ea non erit ĩtelligere. Oportet ergo ꝙ ſint ꝓportionabilia. Vidẽs & lux q̃ debet uideri: nõ erit ergo ĩtellectiua diuina ĩtellectus agẽs reſpectu aĩe. Sed cũ ꝓportio ſit lucis ĩtelligentie angelice ad uiſum ĩtellectus humani: & ĩ ꝓportiõabili luce ẽ uidere: ergo erit ĩtelligẽtia angelica ĩtellectus agẽs reſpectu humani ĩtellectus poſſibilis. Quod aũt ĩtellectus agẽs non ſit ſeparatus a ſubſtãtia aĩe. ĩmo ſit q̃dam differẽtia uirtutis partis ĩtellectiue: ꝓbat̃ ꝑ ꝑs. iiii. Signatũ ẽ ſuꝑ nos lumẽ &c. Igit̃ ĩ ſuprema ꝑte aĩe ſuꝑ nos ẽ ſignatio luminis ſimilitudinis diuĩe. Habemus ergo lumen ĩpreſſum a creatore ad cognoſcenda ĩtelligibilia: & hoc ẽ q̃d dicimus ĩtellectum agẽtem. Item cũ ſit aliqs oculus corporalis uidẽs ꝑ lucẽ ĩ ſe exiſtẽtem ſicut oculus chaci: & oculus noctue uidẽs ĩ tenebris nõ ĩdigens luce exteriori multo fortius oculus ĩtellectualis uidebit ꝑ lucem exiſtẽtem ĩ ſe. Lux ergo qa ĩtelligimus nõ erit ſeparata a ſubſtãtia aĩe. Rñdeo ſine ꝑiudicio. Quedã ſunt: ſicut dicit Augu. ſupra ĩtellectũ humanum. Quedã iuxta: q̃dam ĩtra: q̃dam ĩfra. Dicit. n. ꝙ cognoſcit aĩa deum ſupra ſe. Angelos iuxta ſe: ſe ĩ ſe. Quicq d celi ambitu continetur ĩfra ſe. Dicẽdum ergo ꝙ ad ĩtelligendum ea q̃ ſunt ſupra ſe. Sicut ſunt ea q̃ de diuina eſſentia & trinitate ꝑſonaꝝ ĩtelligunt̃ diuino mõ. Indiget aĩa irradiatione ab ipſa luce prime ueritatis & eſſentie ſuꝑ ſupremã uim ipſius: q̃ dicit̃ mens uel ĩtelligentia: de q̃ dicit Augu. ꝙ nulla ĩterpoſita natura format̃ ab ipſa pria ueritate. Reſpectu igit̃ ueritatis ſumme & reſpectu eoꝝ ĩtelligibilium q̃ omnino excedunt ĩtellectum humanum dicitur agẽs deus. Et huiuſmodi illuminatio eſt gratie ĩfuſio ad contemplanda diuina. Ad cognoſcenda uero ea que ſunt iuxta ſe: ut ſunt angelice eſſentie: uirtutis: & ordines & operationes ĩdiget anima reuelatione angelica: ſiue ĩſtructione: & in hac operatione poſſet dici Angelus intellectus agens inquãtũ ĩſtruens reſpectu ĩtellectus humani: ſed hoc nõ reſpicit ſupremam faciem ĩtellectus humani q̃ ẽ eter

ni & increati: sed uirtutem inferiorem secundum ꝙ Augu. distiguit inter ītelligentiam: ītellectum & rōnem. Intelligentia ē spūs increata. Intellectus spūalis creature. Ratio naturaꝝ corporeaꝝ. Ad cognoscēda uero ea que sunt intra aīam: ut ē ipsa aīa: & potētie ipsius habitus: scie & uirtutes nō indiget anima lumine extrinseco: sed lumine īnato Cognoscit. n. se esse: se posse rōcinari: se sentire: scire aliquid: iustū uel iniustum eē p cōuersionem ad se. Et ideo dicit Augu. qđ cognoscit se in se. Ad cognoscēda uero ea q̄ sunt infra se: nō indiget aīa lumīe ītelligentie q̄ sit extra se. Dum. n. intellectus humanus supior sit rebus corporalibus: & ēt īcorporalibus q̄ sunt in subiecto utpote potētie: habitus dispositiones & affectiones ideo ad hec apprehēdenda: non ē necessaria illuminatio substātie separate: sed sufficit lumē interius. s. ītellectus agens. s. uis aīe suppreme de qua fit hic sermo. Nota ergo scđm Auice. ꝙ intellectus agentis operatio ē. Illuminare siue lumē intelligētie diffundere sup formas sensibiles existētes in imaginatione: siue extimatiōe. Et illuminādo abstrahere ab oībus circūstātiis materialibus. Et abstractas copulare siue ordinare in intellectu possibili. Quemadmodum p operationem lucis spēs coloris abstrahit̉ quodāmodo: & pupille copulat̉. Intellectus uero possibilis opatio ē. Primo cōuertere se p cōsiderationem ad formas q̄ sunt in imaginatione: q̄ cum illuminant̉ luce intelligentie intellectus agentis: & abstrahunt̉ denudate ab oībus circūstātiis materie: & imprimunt̉ in ītellectu possibili: sicut supra dictum ē deducit̉ in actum & format̉ intellectus possibilis: & tūc dicit̉ intellectus formatus. Et tunc operatio intellectus possibilis subsequit̉. Prima circa qditates. Secūda circa complexiones primas que sunt principia. Tertia circa cōclusiones. Verbi gratia primo cognoscit qd ē totum. Secūdo ꝓpositionem uel complexionem q̄ ē principium p se notum: ut omne totum ē maius sua parte. Tertio cōclusionē que cōsequit̉. s. ꝙ totum cōtinuum ē maius sua parte. & sic ī ceteris. Per uiam igit̉ inductiōis colligit̉ ꝙ ipa forma uniuersalis abstracta a singularibus qua format̉ intellectus possibilis. Per uiam uero simili pficit̉ operatio intellectus possibilis: iam formati: ut sit duplex modus operationis ītellectus possibilis. Vnus ē quasi inductiuus. Cum conuersio ipsius ē p cōsiderationem ad formas sensibiles: ut abstrahat̉ forma per actionem luminis intellectus agentis: qua informat̉. Alius ē quasi silogisticus: cum cōuersio ipsius ē supra spēs intelligibiles acceptas ad inferendam conclusionem. Et in hoc differt a sensu. Sensus enim uisus recipit per actionē lucis q̄uis nō cōuertat̉ attñ hō iudicat sine conuer-

sione. Intellectus uero possibilis: nec recipit formã intelligibilẽ: nec iudicat sine conuersione. Et hi sunt gradus opationis itellectus possibilis q̃tum ad illa que fiunt ministerio sensus. Est aũt alius modus opationis respectu formaꝝ que non indigẽt abstractiõe sicut uirtutes sciẽtie & alia que sunt in aĩa ut in subiecto. Spẽs.n. istaꝝ nõ abstrahunt a fantasmatibus reꝝ sensibiliũ: quia pticularia hoꝝ uniuersalium non sunt sensibilia. Sed cũ sunt in aĩa ubi possunt esse secũdum rem: nõ indigẽt spẽbus quibus cognoscant: que non sunt ipse res. Ad cognoscẽda igitur hec: nõ requirit nisi cõuersio intellectus possibilis cũ illuminatiõe intellectus agentis.

De diuisione potẽtiaꝝ aĩe scđm ordinẽ. Capi. xxxi.

Onsequẽs ẽ dicere de differẽtia itellectiue uirtutis apphẽsiue scđm rõnem ordinis. Sciẽdũ igit ꝙ itellectiua uirtus subdiuiditur p supiorẽ: & iferiorẽ partẽ. Supior uero intellectiua dicit ab Aug. cũ cõuertit hec uis supma iter apphẽsiuas: ad cognoscẽdũ ueritatẽ increatã scđm imaginẽ: uel spẽm trinitatis sibi a creatore impressam. Et imago trinitatis scđm Auicẽ. determinat secũdum tria. Memoriã: intelligẽtiã: & uoluntatem. Et memoria dicit ipsa uis inq̃tum ẽ cõseruatiua similitudinis prime ueritatis: p impssam similitudinẽ ueritatis a creatore. Intelligentia uero ẽ inq̃tum ẽ cõtemplatiua prime ueritatis: p impssam similitudinem ueritatis a creatore. Volũtas uero scđm ꝙ hic accipit est inq̃tum ẽ amatiua prime ueritatis p ifixũ appetitũ eius a creatore uel aliter. Memoria ut hic dicit: est ipsa uis itellectus supioris: qua rõnalis creatura põt recogitare suũ pricipiũ efficiẽs: p hoc ꝙ nõ semp fuit. Vñ certa ẽ ꝙ ab illo fuit. Intelligẽtia uero ẽ impssa uis itellectus supioris: p quã põt cõtẽplari pñtem primam ueritatẽ: ut pñtem lucẽ sibi & cõtẽplationis cãm. Voluntas.n. ẽ uis itellectus supioris: q̃ dirigit uel inclinat ad ipsam primã ueritatẽ ut ad finem. Nota ergo ꝙ scđm hanc uim sunt nobis impssa iudicia ueritatis circa principia scientiaꝝ. ut de quolibet dicit negatio uel affirmatio: & de nullo ambo simul. Et oẽ totũ est maius sua parte: & huiusmodi: que dicuntur esse manifesta nature cuiuslibet adiscentis: p lumẽ similitudinis prime ueritatis: secundũ illã partẽ nobis impressam. de quo in psalmo. iiii. dicit. Signatũ ẽ sup nos lumẽ &c. Nota ẽt ꝙ hec uis ẽ eadẽ scđm substantiã cũ itellectu agente. Sed scđm ꝙ cõsiderat hec uis ut natura quedã. sic dicit itellectus agens. Secundum uero ꝙ ẽ apphensiua: dicit itelligẽtia siue mẽs. Inferior aũt uis itellectus: si cõsiderat ut natura q̃dam: sic dicit itellectus possibilis. Et actus ipsius sunt dicti supra.

Si uero consideratur ut uirtus apprehensia sic dicitur intellectus speculatiuus: uel ratio. De actu uirtutis itellectiue. Capi.xxxii.

Ota ergo q̄ actus principalis huius uirtutis.s.itellectiue apprehēsiue ē intelligere & hoc per se: tñ preter hūc sunt actus adminiculares inq̄tū.s.hec uis ordinat̄ ad sensibilē. Et scd̄m hoc multiplicant̄ rōne quadruplicis uis in iuentiuā: siue iuestigatiuā: idicatiuā: memoratiuā: & iterpretatiuā: iuentiua aūt & idicatiua nō distingunt̄ nisi inq̄tum ad iuentionē: & iudiciū: scd̄m q̄ distiguit̄ duplex uia.s.itelligendi: q̄ ē i iquisitione ueritatis p se. Et uia iudicii in discussione ueritatis accepte ab alio. Vna ē experiēdi. Altera adiscendi. & expiri ē p se: discere ab alio: uel uia intētionis scd̄m modum cōpositionis: uia iudicii scd̄m modum resolutionis. Siue uia iuētiōis est cū a cognitiōe effectus: puenit̄ ad cognitionem cause. Via uero iudicii ē cū p cognitionē cause cognoscit̄ effectus. Memoratiua aūt & iterpretatiua distinguūt̄: qa memoratiua ē retētiua spēi cognite. Interp̄tatiua uero ē datiua cognitiōis uel aliter pn̄t distigui. Nam iuestigatiua & memoratiua sunt hoīs respectu sui. Sed inuestigatiua uel inuētiua i inq̄rendo icognita & memoratiua retinēdo cognita. Vnde inuentiue deseruit cogitare & itelligere memoratiua ē post itelligere. Item idicatiua & interp̄tatiua sunt respectu alterius. Sed idicatiua in suscipiēdo ab alio cognitionē. interp̄tatiua uero in trāsfundēdo i aliū. Vñ una.s. indicatiua deseruit ueritati itelligende. Reliqua uero.s. iterpretatiua ē post itelligere. Inuētiue uero siue inuestigatiue actus sunt: ingeniare: expiri apphēdere cōcipere rōcinari: ingeniū aūt ē extensio intellectus ad incognitoꝝ cognitionem. Experiētia uero ē certitudo reꝝ facta p sensum. Apprehēsio aūt ē acceptio simplex itellectus: ut hoīs uel animalis. Cōceptio uero ē acceptio cōplexa itellectus: ut qm̄ hō ē aīal hō est risibilis. Ratiocinatio uero arguitiua intellectus ut si hō ē aīal. hō ē sensibilis: & patet numerus. Nam iuestigatio aut se extēdit ad cognoscendū icognita: & tūc ē igenium: aut i uia cognoscēdi p sensum. & sic est experiētia aut uia cognoscēdi p rōnem: q̄ triplex ē. Est enim uia incognitionē simpliciū: ut dictionū: imo coꝝ que significant̄ p dictiones. & hec ē apprehēsio. Et ē uia in cognitionem cōplexoꝝ: ut enūciationū uel ꝑpositionū: & hec ē conceptio. Et ē uia in cognitionem conclusionis: & hec ratiocinatio. Indicatiue uero actus sunt etiam q dicti sunt. Sed secūdum aliam uiam. Nam ad intellectum puenitur: aut per se: ut inquisitione: aut per alium: ut in iudicio siue disciplina. tamen indicatiue iquātum iungitur sensibili: possunt assignari; actus scilicet

discernere ꝑut cõiungitur imaginatiue: dubitare: & opinari inquãtũ coniungitur cogitatiue: & scire. Sed dubitatio ẽ acceptio utriusq; par tis cum formidine falsitatis. Opinatio ẽ acceptio unius partis: cũ for midine alterius. Scire uero: ẽ completus actus intelligentie. Et hic ẽ or do. primo ẽ discernere: hoc ẽ diiudicare. Deinde iudicio deficiente ẽ dubitatio. Proficiente uero iudicio. fit fides siue opinio. ꝑueniente ue ro iudicio ad ĩtellectum ueritatis fit scĩa. Et ẽ dubitatio uacillatio inter uerum: & falsum. Opinio credulitas ueri: scientia uero certa cõprehẽ sio ueritatis. Memorie uero rõnalis triplex ẽ actus. Primus ẽ spẽs intel ligibiles retinere. Secundus est representare. tertius obmissas uel obli tas spẽs reparare: & hoc est reminisci in quo hñdat a sensibili. Nota ꝙ memoria triplex ẽ. Est. n. memoria uis conseruatiua spẽi sensibilis. Est & memoria spẽi intelligibilis. Et ẽ etiam memoria uis cõseruatiua di uine similitudinis indita a creatore de qua dictũ ẽ supra de imagine. In terpretatiue uero que ẽ uis indicatiue ĩtelligentie: duplex ẽ actus. s. Ex cogitatio: & significatio. Et ẽ excogitatio configuratio: uel informa tio cogitationis: ad exprimendũ exterius. Significatio uero ẽ cogni tionis formate ꝑ signa uel uerba demõstratio. Et qa signa in opere cõ fusa sunt: & equiuoca ad intellectũ ad comodandũ alteri. Ideo acõmo data sunt uerba ad manifestationem ĩtellectus: ut signa discreta & pro pria. Et ideo ad significandũ ĩtellectum facta ẽ locutio. Est aũt locutio uerbi interioris mente cõcepti. i. cogitationis ꝑ uerba exterius demon stratio. hec aũt uirtus ẽ eadem cũ uocatiua. i. cũ emissa uocis. Vocatiua enim ẽ sensibilis & irrationabiliũ. Locutiua uero rõnabiliũ. Vñ nec pi ce nec dormientes dñr loqui. Loqui. n. uel dicere: ẽ cũ intentione ꝓfer re. Quia ergo pica uel dormiens & si ꝓferunt uocẽ significatiuã: nihil tñ intendũt: nec loquunt᷑. Solius ergo ꝓferentis cũ intentione ẽ loqui & uirtus locutiua: sed tale ẽ rõnale aĩal. i. homo. Locutiua q̃tum ad in tentionẽ ẽ intellectiue. Quantum uero ad prolationem sensitiue. hec enim duo sunt in eo quod ẽ loqui. s. cum intentione proferre.

De motiua intellectiua. Capi. xxxiii.

Consequenter dicẽdũ ẽ de uirtute intellectiua: motiua: Sicut enim habemus uim intellectiuã ordinatã ad uerum. Sic ha bemus uim intellectiuã ordinatã ad bonum. Nota ꝙ est uis motiua in bonũ. ut natura. Et est uis motiua ꝑ apprehensio nem. Motiua enim in bonũ ut natura simpliciter: ẽ triplex. Est. n. moti uum in bonũ supremũ: quod dicit᷑ sinderesis. Et ẽ motiuum in bonũ infimum: quod dicit᷑ sensualitas. Et ẽ motiuũ in bonũ medium: quod

dicit̃ uoluntas naturalis. Est enim bonum superius. s. bonum rationa-
le quod dicit̃ honestum. Et bonum simplex: quod sua ui nos trahit. &
sua dignitate nos alicit. Et est bonum ĩferius. s. bonum corporale: bo-
num delectabile carnis: qđ ē bonum apparēs: siue scđm qd. Et ē bonũ
medium qđ ē bonum naturale queādmodum eē uiuere. Intelligere &
sentire: & quecũq; sunt substantialia nature. Est igit̃ affixus appetitus
naturalis & inditus aīe boni honesti: & uirtutum & opationũ uirtuo
sarum. Est enī ĩfixus appetitus boni delectabilis carni: ut q̃ sunt circa
cibos: & coitus delectationes. Est ēt infixus appetitus & amor natu-
ralis boni. s. essendi uiuendi sentiendi & intelligēdi. Est igitur syndere
sis uis naturaliter motiua & inclinans aīam rōnalem ad bonum hone
stum: & retrahens ab inhonesto. Sensualitas uero ē uis naturaliter mo
uens & inclinans ad bonum cōseruatiuum nature. Voluntas autem est
uis naturaliter mouens ad bonum substantiale nature. Sic igit̃ distin-
guitur motiua uis ut natura nō p apprehēsionem. Item motiua p ap-
prehēsionem distinguit̃. Quia ē motiua determinata ad incommuta-
bile bonum. Et ē motiua determinata ad mutabile bonum. Et ē mo
tiua indeterminate se habēs ad utrũq;. Motiua determinata ad incom
mutabile bonum ē suprema pars rationis uel ĩtelligētie q̃ ē habēs simi
litudinem summe bonitatis a creatore impressam: secũdum quam ēt
determinat̃ in aīa imago trinitatis. scđm mētem noticiam & amorem
Mens enim ē uis conseruatiua similitudinis summe bonitatis indite a
creatore. Noticia uero ē p speculationem illius. Amor uero p appetitũ
illius. Et sicut suprema pars apprhensiue ĩtellectiue ē imago trinitatis
p similitudinem prime ueritatis inditam. Sic suprema pars ĩtellectiue
motiue ē imago trinitatis p similitudinem summe bonitatis inditam
Vnde ex hac impressione bonitatis nascunt̃ dictamina legis naturalis.
Vt qđ tibi non uis fieri aliis ne facias. Et iterum quecũq; uultis ut fa-
ciāt uobis hoīes: & uos facite illis. Motiua uero determinata ad com-
mutabile bonum ē motiua sensibilis q̃tum ē de se. Pōt tñ considerari
duobus modis in se uel in ordine ad rōnem: uel intellectum. Secundũ
q̧ in ordine sic subiecta ē ipsi rōni: secũdum q̧ patet in concupiscibili
& irascibili & motiua mēbroꝝ. Secũdum q̧ ĩ se: sic ē determinata &
ordiata ad bonum sensibile: qđ ē cōmutabile. Motiua aũt indetermi
nate se hñs ad utrũq; bonum. s. incōmutabile: uel cōmutabile ē uis ra-
tionis post supremā uel liberum arbitriũ đ qua ecclesiastici. xv. Dereli
quit eum in manu cōsilii sui. Et ĩfra ante hoīem uita & mors: bonũ &
malum qđ ei placuerit dabit̃ illi. Manus cōsilii ē potestas arbitrii. Vita

& bõnum aïe ẽ ex cõuersione liberi arbitrii ad bonum incõmutabile
quod est deus. Mors uero & malum aïe est ex auersione a bono incõ-
mutabili: & conuersione ad bonum cõmutabile. Hec aũt uis a philo-
sophis dicta ẽ intellectus praticus: idest operatiuus eo ꝙ principiũ sit
operabilium. Et hec de anima & potentiis eius dicta sufficiant.

Deo Gratias Amen.

Explicit Philosophia Alberti Magni.

Egidius de regimine pricipum libro primo parte tertia de duodecim
passionibus anime.

Vodecim sunt passiones aïe: uidelicet amor odium deside-
rium: abhominatio: delectatio: tristicia: spes desperatio: ti-
mor: audatia: ira: mãsuetudo. Sed nota ꝙ mãsuetudo inter-
dum importat passionẽ oppositã ire & ĩterdum uirtutẽ me
diam: ĩter iram & mãsuetudinẽ passionẽ. Et hoc pp penuriã uocabu-
lorum. Quaꝝ sufficiẽtia siue numerus sic accipi põt passiões ꝓprie eẽ
nõ habẽt nisi in appetitu sensitiuo. Appetitus.n. intellectiuus qa nõ ẽ
in corpore siue nõ ẽ uirtus affixa organo: ab huiusmodi passionibus
est semotus. Appetitus itaq3 sensitiuus diuidit' in irascibilẽ & cõcupi-
scibilẽ. Prime sex ptinent ad cõcupiscibilẽ. Quaꝝ numerus sic accipit'
Omnis motus aïe ptinens ad cõcupiscibilem sumit' uel respectu boni
uel respectu mali. Si respectu boni: hoc tripliciter. Bonum.n. apprehẽ
sum. Primo placet: secũdo tẽdimus in ipsum tertio eo adepto quieta-
mur in eo. Quãtum ad primũ ẽ amor. Quãtum ad scdm ẽ desiderium
Quãtum ad tertium ẽ gaudium uel delectatio. Si respectu mali hoc ẽ
tripliciter malum enim apprehensum. Primo displicet in se. Secundo
recusat' haberi. Tertio si habetur cõtristat. Quãtum ad primũ ẽ odiũ.
Quãtum ad secũdum abhominatio. Quãtum ad tertiũ dolor siue tri-
sticia. Alie sex differũt a p̄dictis. Quia passiões cõcupiscibilis respiciũt
bonũ uel malũ absolute sumptum: sed passiones irascibilis respiciunt
bonum uel malum ut arduũ. Sumũt' ergo uel respectu boni ardui uel
respectu mali. Si respectu boni hoc ẽ dupliciter: uel qa in ipsum tẽdi-
mus sic ẽ spes. Nihil enim aliud ẽ spes: q̃ tendere ad aliquod bonũ ar-
duum: circa enim bona absolute sumpta põt eẽ amor uel desiderium
uel delectatio. Non tamẽ ẽ spes circa aliqua bona: nisi habeant rõnem
ardui. Quare si tendimus in bonum arduum dicitur esse spes. Sed si a
tali bono deficiamus ẽ desperatio. Spes igitur & desperatio sumunt'
respectu boni. Alie uero passiones irascibilis sumuntur respectu mali.
Nam malum dupliciter põt considerari uel ut futurum uel ut p̄sens.

Si cōsideratur ut futurꝫ: hoc ē dupliciter uel ut ipsum aggredimur: & sic ē audacia: uel ab eo refugimus & sic ē timor. Si uero malū sit pñ sens: hoc ē ēt dupliciter uel ex hoc consurgimus ad faciendum uindictam: & sic ē ira uel a tali uindicta refugimus: & sic ē mãsuetudo passio. Ordo pdictaꝝ passionum dupliciter cōsiderari pōt: uel singulariter uel p cōbinationē. Per cōbinationē amor & odium sunt in primo loco: qa oēs alie passiões sumūt originē uel ex amore uel ex odio. qcū qꝫ enim passionatᷣ aliq̄ passione passionatᷣ: sic uel qa amat uel qa odit. In scđo loco sunt desideriū & abhominatio. Nam desideriū īmediate innititᷣ amori. Cum enim amamus aliquid: uel desideramus ipm habere: si ipsum non habemus uel cōseruari in hñdo ipm: si ipm habemus Abhominatio aūt īmediate innititᷣ odio: qa statim cum odimus aliqd abhominamur illud. In tertio aūt loco spes & desperatio: qa sumūtur respectu boni pcedūt timorē & audaciā irā & mãsuetudinē. In quarto uero loco timor & audacia. Nā cū aliqd prius sit futurꝫ q̄ sit pñs timor & audacia q̄ sumuntᷣ respectu mali futuri: pcedunt irā & mãsuetudinē: q̄ sumuntᷣ respectu mali pñtis. Vltime passiones sunt delectatio & tristicia: qa sequuntᷣ ad alias passiones. Nam q̄cūqꝫ alia passione qs passionetᷣ: aut delectatᷣ aut tristatᷣ. Accepte singulariter sic ordinari debēt. Quia amor prior ē odio. Desiderium abhominatione: spes desperatione: timor: audacia: ira mãsuetudine: delectatio tristicia. Quia semper passio sumpta respectu boni scđm qꝫ huiusmodi prior ē passione sumpta respectu mali. Nam appetitus p se & primo tendit in bonum. Si aūt refugit malum: hoc ē ex cōsequenti: inq̄tum fugere malū habet rōnem boni. Amor ergo primus motus ē & prima passio. Odium aūt ex amore sumit originē. Nisi enim amaremus aliquid nihil haberemus odio. Nam quia diligimus bonum & iusticiam: odimus & abhominamur fures & iniustos. Desiderium autē quod innititᷣ amori pcedit abhominationem q̄ innititᷣ odio. Spes uero precedit desperationem. Nam si primū uolitū ē bonum: & quicq̄d cū ē uolitū ē uolitū sub ratione boni passio que magis nos coniungit bono secundum qꝫ huiusmodi precedit alias passiones. Et quia tendere in bonum ē coniungi bono. Et coniungi bono prius est q̄ deficere ab ipo. Spes p quā tendimus in bonū pcedit desperationem p quā deficimus ab ipso timor aūt pcedit audaciam. Nam sicut quia appetitus per se tendit ī bonum. Ideo passio q̄ tendit in bonū ē prior passione que deficit ab ipo: sic & refugere malū habet rationem boni. Ideo timor p quem refugimus malum prior ē audacia per quam aggredimur ipsum. Ita autem

in genere passionum ē prior mansuetudine. Nam mansuetudo ꝓprie non est passio: sed deficere a passione. Delectatio autem que est respectu boni: est prior tristicia que est respectu mali. Harum passionū q̄ttuor sunt principales scilicet spes: timor: gaudium & tristicia. Quod patet: si comparentur ad alias passiones: ad sua obiecta: & ad substātiā scilicet potentias anime. Ex primo patet sic. Nam omnes anime passiones uidentur ordinari ad istas passiones enim que sunt respectu boni. Videntur ordinari ad spem & gaudium. Et que sunt respectu mali: ad timorem & tristiciam. Quia passio sumpta respectu boni. Primo incipit ab amore. postea uadit in desiderium: & terminatur in spem. Dum bonum est futurum. Vltimo in gaudium & delectationem. Dum bonum illud est presens & adeptum. Similiter respectu mali incipit ab odio & procedit in fugam uel abhominationem & terminatur in timorem: si malum sit futurum. Vltimo terminatur in tristiciam uel dolorem: si malum illud sit presens. Ex secūdo idem patet sic. Omnis passio sumitur respectu boni uel respectu mali: que considerantur: ut ī futuro uel ut in presenti. Si ergo bonum sit futurum est spes. Si presens gaudium: uel delectatio. Si autem malum sit futurum timor. Si uero presens dolor uel tristicia. Ex tertio idem patet hoc modo. Concupiscibilis tendit in bonum secundum se. i. bonum ut bonum. Irascibilis uero in bonum ut arduum siue difficile. Cum ergo aliq̄d sit maxime bonum: cum iam est adeptum circa quod est delectatio uel gaudium. Et cum maxime sit malum: cum iam est presens circa quod ē dolor uel tristia. Oportet delectationem: uel tristiciam esse principales passiones respectu concupiscibilis. Spes autē & timor sunt respectu irascibilis principales passiones. Nam cum irascibilis tendat in bonum ut arduum. Tunc maxime reputatur arduum cum est futurum. Circa hoc autem est spes timetur autem malum futurum tanq̄ non facile euitabile. Preter has autem .xii. passiones philosophus secundo ethicorum .vi. alias enumerare uidetur. Videlicet zelum gratiam nemesim: q̄ est indignatio de prosperitatibus malorum misericordiam inuidiā & erubescētiam siue uerecūdiam q̄ tn̄ oēs reducūť ad aliq̄s ꝑdictaꝝ. Zelus. n. reduciť ad amorē qa nihil aliud ē zelus nisi amor intensus. Ea aūt q̄ ītense diligimus uel sunt corporalia uel spūalia. Si sunt corporalia. qa talia cū habēť ab uno nō habēť ab alio. Ideo zelus respectu hoꝝ diffiniri cōsueuit. Quod ē amor ītensus nō patiēs cōsortium ī amato. Vn̄ īuoluit ꝙ aliq̄ dr̄r eē zelotipi. De ꝑsona aliq̄ si nolūt ī ea aliq̄d hēre cōsortiū. intēsus ergo amor corꝑaliū: uideť eē amor ꝑuatus

& reprehensibilis: non patiens consortium in amato. Sed respectu bo norum intellectualium & respectu uirtutum: si sit amor intensus laudabilis & quasi cōis. Nam nunq̄ qs uirtuosus eēt: nec ꝓprie uirtutes diligeret: si nollet in eis habere consortium. huiusmodi ergo zelus respectu honorabilium diffinitur a philosopho .ii. rethoricoꝝ. Quod ē tristicia de huiusmodi bonis: nō qa insunt alteri: sed qa nō insunt sibi zelus ergo reducit̄ ad amorem. Sic ēt gratia ex amore efficit̄ aliqs gratiosus alteri. Gratia enim ut de ea tractat philosophus: & ut est passio nihil aliud ē q̄ qdam motus animi: ꝑ quem inclinat̄ qs ad beneficia cōferēda. Verecūdia reducit̄ ad timorē. dupliciter enim timere pōt. Corruptiones .s. inhonorationes. Qui expauescit mala corruptiua dicitur timidus. Sed q expauescit turpia & inhonorātia dicit̄ uerecūdus. Nihil est aliud uerecūdia q̄ timor inhonorationis: uel timor inglorificationis. Verecūdia etiam erubescētia nominari cōsueuit: qa uerecūdantes cōiter erubescunt: sicut timētes palescūt. Nam ex eo ꝙ aliqs credit se amittere uitam quod ē bonum interius timet. timēdo autē sanguis recurrit ad interiora membra: & remanent palida exteriora. Sed ex eo ꝙ aliqs credit se amittere gloriam & honorem que sunt bona exteriora uerecūdat̄: & sanguis recurrit ad exteriora & facies rubet. timor ergo corruptiui & amittendi bona īteriora: quia non habet spēle nomē retinet sibi nomen cōmune: & dicitur timor sed timor amittendi honorem habet speciale nomen: & dicitur uerecundia uel erubescētia: reducitur ergo ad timorem. Inuidia autem & misericordia & nemesis siue indignatio: reducuntur ad tristiciam quasi eius species. Nam aliquis potest tristari uel de malo alterius uel de bono. Si tristatur de malo & maxime si credit ipsum indigne pati illud: sic ē misericordia. Nā ut secundo rethoricorum dicitur. Misericordia nihil aliud ē q̄ tristitia quedam scilicet apparenti malo corruptiuo uel contristatiuo respectu eius qui indignus ē sortiri malum illud. Si uero sit tristicia non de malo alterius: sed de bono: hoc pōt esse dupliciter uel de bono secūdum se. Et sic ē inuidia: q̄ ut dicitur secundo rethoricoꝝ: nihil aliud ē q̄ tristicia q̄dam suꝑ apparēte actione aliquoꝝ bonoꝝ circa similes nō ut aliqd sed ꝓpter illos. Inuidia enī ē dolor de apparēte bono alicuius nō qa ipse nō habet illud bonum sed qa alter cui inuidet pollet illo bono Et potissime ē inuidia circa similes. Vnde figuli inuidēt figulis: & fabri fabris: & sic de aliis. Si uero sit tristicia de bono alterius nō quocūꝗ mō: sed ut indigne habēt ab eo sic ē nemesis uel indignatio. Nam secūdum philosophū .ii. retho. Nemesis uel indignatio ē tristari de eo

q indigne uidet̃ bene ꝓsperari. Quia aũt secũdum diuersitatẽ passionũ diuersificant̃ actiones & mores diligenter attendẽde sunt:

Finit egidius de passionibus.

De intellectiua.

E collegio ergo quod dictum ẽ de ratione siue ĩtellectu: qa summũ qđ ẽ in ea in mouẽdo dicit̃ synderesis: & uniuersaliter ut dictum ẽ in cognoscẽdo intellectus agẽs stat ĩ uniuersali. Sed notandum ẽ: qa agẽs dicit̃ secundum ꝙ ẽ abstrahẽs ab imaginatione spẽs: & componẽs easdem in ĩtellectu possibili. Synderesis aũt ut dictum ẽ motiua. Dama. aũt uocat eam uoluntatem naturalem: sed differunt ꝓut sic: & uocat̃: qa synderesis solũ respicit bona rationalia. Naturalis aũt uoluntas sicut ipse. Damasce. Vult respicit naturalia rationabilia: & uitalia post illam & supra illam partẽ: rõnis q̃ dicit̃ uir ẽ intellectiua qua intuet̃ diuina siue eterna eo mõ quo põt differũt a synderesi: qm̃ synderesis nihil deliberat ista ãt bene deliberatur. Item synderesis sicut ẽ affectiua communiter in bonum ita ẽ detestatiua mali. Vnde semꝑ murmurat de malo. intellectiua aũt ista nõ respicit malum: quia solum obiectum eius ẽ eternum ubi nihil ẽ mali. Et si dicit̃ ꝙ secũdum hoc debet ꝑordinari. Dicẽdum ꝙ nõ quia ista deliberat & scit qđ unum appetit & semꝑ stat ĩ cõi: post illud ẽ illa ꝑs rõnis q̃ dicit̃ uir: q̃ ẽt extendunt qdem intantum ꝙ cõprehẽdit ipam de qua iam diximus trinitatẽ: & maxime inq̃tũ ẽ imago trinitatis increate: đ qua breuiter dictũ fuit: qa hoc exigit breuitas tractatus. Post illud ẽ mulier que coniuncta est sensualitati: & sepe aliter ab ea habet enim illecebram: iuxta q̃ semꝑ uidet pomum sibi porrigi. Vult̃ autem Augu. ꝙ iste due partes differant solum secundum officium: & nõ sit nisi una potentia. In ista potentia siue in istis duabus partibus ẽ ꝓprie uoluntas in qua ẽ cõsensus. Sed duplex ẽ cõsensus. Vnus in ueꝝ ratione ueri. & sic ẽ cognitio: & sic ẽ opus rationis. s. perfectio uerum secũdum eius quod ẽ potentia cognitiua: uel sic uerum enim secundum ꝙ uerum ẽ ꝑfectio siue bonũ ĩtellectus: cui cõsentit uoluntas: uel potius assentit: quia bonũ ẽ obiectum ꝑfectiuum ĩtellectus. Potẽtie. n. cognitiue ꝓprie ẽ ꝑfectio: siue obiectum cum ei adiungit̃. Ipsius aũt anime ꝑfectio siue cognitio ẽ scĩa ꝑ uiam speculatiuam: & tunc ratio prout ĩ potentia cognitiua ẽ dicit̃ intellectus: sed differunt eo mõ quo dictũ est. Est ẽt cõsensus in bonũ sub rõne ueri: & dico sub rõne ueri: qa eẽ bonum iudicat uel malũ: & sistit ibi: nec amplius ꝓcedit. Si ãt amplius ꝓcedit & iudicat uidelicet eẽ bonum ut fiat: sic ẽ uoluntas motiua primo mõ ad hoc ẽ cognitiua. Item si adhuc nõ solum eẽ bonum iudicat

ut fiat: sed in iudicando afficitur & appetit illud sicut factum est: siue tendat ad factum: tunc dicitur liberum arbitrium: quoniam liberum arbitrium comprehendit rationem & uoluntatem. primo modo dictam. Vnde liberum arbitrium est in iudicio & appetitu. Dicendum ergo quod consensus de re que fit uel que non fit: cognitio rationis est: ut fiat: uel non fiat uoluntatis. Sic.n. est processus. Ratio iudicat bonum esse: uel malum: & in isto iudicio consentit consensus rationis: prout est in cognitiua: & sequitur consensus uoluntatis que dicit fiat: uel non fiat & tunc dicitur consensus motiue rationis. Vtriusque autem in uerum & in bonum consensus dicitur liberum arbitrium: uel arbitrii liberi consensus. Vnde liberum arbitrium comprehendit in diffinitione rationem & uoluntatem. Est enim liberum arbitrium facultas rationis & uoluntatis qua bonum eligitur gratia assistente & malum gratia deserente.

Finis

Impressum Venetiis per Georgium de Arriuabenis: Anno Domini. M.cccclxxxxvi. die ultimo mensis Augusti.

Tabula huius operis. Cuius prima pars siue liber declarat breuiter libros physicorum Arist. xvii. capitulis.



Capitula secundi libri. scilicet de celo & mundo.

Capitula tertii libri. scilicet de elemētis.

Capitula quarti libri. s. de elementatis inaīatis uel methauro℞.

Capitula quinti libri.scilicet de anima.

Finis.

a b c d e f g Omnes sunt quaterni preter g qui est ternus.

